EXPOSITIO
JURIUM EORUM,
QUI
DISSIDENTIUM
NOMINE VENIUNT,
SUMMARUMQUE POTESTATUM,
QUARUM PARTES ILLORUM TUERI INTEREST.

PETROPOLI,
DIE DECEMBRIS 1766.

Quae ex vicinitate inter gentes oriuntur colligationes, tum ex ipſa earum convenientia, tum ex diverſa regiminis forma, auxiliorumque mutuorum utilitate metiendæ ac aeſtimandæ veniunt; eamque ob cauſam tam arctæ ſapenumero ſunt, ut continua omnium, quæ vicinam vel ſecuritatis externæ, vel conſiſtentiæ internæ intuitu reſpiciunt, cura cum illarum agendi ratione neceſſario cohæreat, ac poſt eam, quam propriæ ſuæ conſervationi debent, e. nonnunquam ab illa divelli nequit, principem locum obtineat. Penitior ſtatuum Europæ cognitio nullas ſuggerit Reſpublicas, inter quas hujusmodi vincula ſint antiquiora, ipſarumque ſimul commodis aptiora, præter omnium Ruſſiarum Imperium atque Poloniam. Hinc ortum trahunt perpetua iſtius rerum Rempublicam tangentium cura, bellorum formæ Regni tuendæ cauſa ſusceptio, certaque Poloniæ ſpes ſe in Ruſſia fidelem, conſtitutionumque ſuarum cuſtodiæ invigilantem ſociam nullo non tempore habituram: cum iſtarum violatio ipſius Ruſſiæ incolumitatem atque tranquillitatem multis modis afficiat.

Ne ad remotiora tempora aſcendamus, in recenti hærent memoria, quæ PETRUS *magnus*, ut pericula Reip. imminentia propulſaret, egit, quantamque inde gloriam eſt conſecutus. Cum regnante Imperatrice ANNA homines odiis, diſſidiisque mutuis adhuc fervidi, quæ belli tempore perfecerant, legum ſimulacro corroborare geſtirent, Ruſſia iterum fidam ſe vicinam ſociamque Reip. præſtitit, omnemque operam navavit, ut pacem ac tranquillitatem illibatæ nationis Polonicæ libertati innixam, illi reſtitueret. Nunquam verò fidem, ſocietatemque ſuam magis utiliusque, quam ultimi interregni tempore Reip. probavit. Prætergreſſis temporum periodis id effici non potuit, ut ad verum ac naturalem ſuum ſtatum illa prorſus reduceretur. Circumſtantiæ vi quadam ſyſtema ſtatus, ſi ita loqui licet, caſuale obtruſerant: Verum ejus bonum ab ultimo demum rerum progreſſu originem cepit. Libera ac unanimis Regis Piaſti, pariterque Regno digniſſimi, ac beandæ Reip. aptiſſimi, electio vires huic ſuppeditavit, quibus legibus ſuis fundamentalibus, membrorum ejusdem libertati, juribus et immunitatibus vigorem, omnibusque adminiſtrationis rerum partibus vitam quaſi redderet. Haud opus eſt fuſius hic enarrare,

quantam Rusſia in hoc perficiendo operam curamque collocaverit, quave animi magnitudine ac generoſitate factæ a tota natione Polonica opis ſuæ implorationi ſatisfecerit. Gloriæ ſuæ ſufficere putavit, quod tam commodam vicinæ ſuæ rerum mutationem adjuvare potuerit, ſummæque ac perennis, quam Reip. parare debuit, felicitatis proſpectum præmii loco habuit. At enim verò ſpe votoque ſuo excidit, natioque Polonica illæſam, quam vix recuperavit, libertatem, bello civili committere parata, jam maxime attentionem ſuam meretur. Si Auguſta Ruſſiarum Imperatrix Imperii, animique ſui rationem in hoc invenit, ut turbarum ab exteris in Remp. invectarum radices præcideret, eadem quoque adſtringitur, ut omnem Suam operam, officia et auxilia conferat, quo ejusmodi disſidiis, quæ in ipſis Reip. penetralibus ex irregulari rerum adminiſtratione naſcuntur, vitiis quæ leges fundamentales corrumpunt, ac abuſibus denique æqualitatem, quæ baſis Reip. eſt, tollentibus, obicem ponat: quorum numero is etiam quo Communio Catholica Disſidentibus participationem jurium quæ inter cives omnes debent eſſe æqualia atque communia, denegat, continetur.

Imperatoria Sua Majeſtas tam gravi atque periculoſa disſidii cauſa, quæ in ipſa Rep. per tot jam annos exiſtit, vivide ſemper commota fuit. Eximiarum utilitatum, quas natio Polonica reſtituendo jura atque facultatem ad communem ſalutem cooperandi Civibus, quibus felicitas ejus nunquam non cordi fuit, et qui haud minus quam æquales ſui in illius ſplendore ac potentia augendis elaborarunt, parare ſibi poſſet, optime gnara, commodam tantum occaſionem opperta eſt, qua repræſentationes amicitiæ, vicinitatis opportunitati et Imperii Sui pactis conformes hac de re illi facere liceret. Maximopere indoluit, ſe turbidis interregni temporibus officiorum ejusmodi adimpletionem differre coactam: ſenſit que ad procurandam liberam ac unanimem Regis Piaſti electionem, quam Reſp. independens non optare non poterat, e re ejus eſſe, novam disſidii inter cives cauſam tum intactam relinquere. Ut itaque, quod gravisſimum cenſuit, Remp. diutius ſine capite eſſe non ſineret, hoc negotium, quod jam tum proponere in animum induxerat, et de quo principes nationis in anteceſſum monere jusſerat, in id tempus rejecit, quo animi tranquilliores, ejusmodi reſtaurationis utilitatem clarius perſpicere, majorique concordia atque ſucceſſu ei perficiendæ operam dare valerent. Haud prius igitur quam in Comitiis Electionis Legatis Suis Comiti Keyſerlingio ac Principi Repnino pro Disſidentibus ſolemniter Suo nomine intercedere jusſit: quod et ipſa re factum, probat Scriptum memoriale hic adjunctum ſub Lit. A.

Cum

Cum quiete nondum perfecta natio gauderet, Imperatoria Sua Majeſtas his initiis contenta, ad declarandum toti Reip. quantum reſtauratio disſidentium curæ ipſi eſſet, et ad impellendos omnes ſtatus, ut hoc negotium ea qua decebat, attentione dignarentur, ſufficere hæc judicavit.

Poſtquam Comitia Coronationis operi, quo nationi Polonicæ Rex Piaſtus et unanimiter electus contigit, ultimam manum impoſuiſſent, ea tandem quæ iſta ſequi debebant, Imperatoriæ Suæ Majeſtati commodiora viſa ſunt, quibus omnibus Reip. ordinibus in illis congregatis proponeretur, ut conſtitutioni ſtatus fundamentali primam ſuam perfectionem redderent, ac æqualitatem civibus, quibus debetur, et qui nulla legitima cauſa iſta orbati ſunt, reſtituerent: quapropter Legato ſuo Principi Repnino jusſit, toti Reip. in Comitiis congregatæ publice notum facere, quantum reſtauratio Disſidentium cordi ipſi ſit, quibusve moveatur momentis ad faciendas hac de re repræſentationes, quales vicinam, amicam atque ſociam decent, urgentisſimas: ut patet ex Declaratione hîc adjuncta ſub Lit. B.

Imperatrix conſcientiæ Suæ teſtimonium pro norma habet eius agendi rationis, quam in hoc negotio ſervat, eſtque in poſterum ſervatura. Quamvis itaque aulæ Imperatoriæ apprime notum ſit, quod Populorum Rectores nemini niſi Deo actionum ſuarum rationem reddere tenentur, juſtitiæ tamen conſonum eſſe judicat, momenta quibus Disſidentium poſtulationes innituntur, quæve Auguſta Princeps eos tuendo ſequitur, ante oculos totius Europæ ponere.

Ex Hiſtoria Poloniæ conſtat, libertatem Reip. non omni tempore adeo laxam fuiſſe, quam nunc eſt. Cum Reges ejus jure hæreditario ſceptro potiebantur, conſtitutio Regni ab ea quæ jam viget, haud parum abiebat. Sub Regibus ex ſtirpe Jagellonica oriundis, cujus initium in annum 1386, finis autem in a. 1572 incidit, minor nobilitas nulla adhuc gaudebat poteſtate, ſed a jure Regum leges et jus Regni pendebant. Quam arctis libertas nobilitatis tum temporis circumſcripta fuit limitibus, vel ex hoc ſolo elucet, quod nobilis cujusque ſecuritas Privilegio demum, quo Rex Jagello neminem niſi in judiciis criminis convictum, carceri includere promiſit, ſtabilita fuerit. A filio Jagellonis Uladislao Nobilitas Polonica habet inſtitutionem Cameræ Nunciorum, in qua omnes provinciæ per Deputatos ſuos autoritate Legislatoria atque vetandi jure gaudent, hocque ipſo nobiles omnes inter ſe æquales ac ſummæ poteſtatis participes facti ſunt. Judiciis tantum Epiſcopalibus ſubjecti adhuc manebant, quæ ſervitutis quaſi jugum illis impoſuerant, dum excommunicationum adminiculo ſuffragia in Comitiis majoribus et minoribus ferendi

facul

facultatem eisdem adimere pro lubitu poterant: quæ tandem Jagellonidum ultimus Sigismundus Augustus, memorata judicia intra certos limites coarctans, non sine magno labore eos liberavit. Idem Rex rem nationi non minus salutarem effecit, dum omnem, quæ Religionis causa inter Cives exoriri potuisset, diversitatem per Privilegium in Comitiis Vilnensibus die 16 Junii a. 1563. illi datum, et in archivis summi Tribunalis M. Ducatus Lithuaniæ asservatum, penitus sustulit. Termini ejus tam perspicui sunt, ut hic ea maxime de causa referri mereantur, quod habilitas civium istorum, quibus solis postmodum impropriè Dissidentium nomen impositum, per illud constituta, et ad dignitates, munera et partes Reip. omnes porrecta; æqualitas autem eorum cum reliquis in omnibus et singulis, quam fieri potuit clarissime, determinata fuit. Regis autem verba hæc sunt: „Ab hoc tempore in futurum non solum Nobi„les et Domini cum descendentibus suis, qui Communioni Catholicæ ad„dicti sunt, quorumque majores litteras nobilitatis in Regno Poloniæ ob„tinuerunt, sed generatim etiam omnes, qui sunt ex ordine equestri „atque nobilium, sive origine sint Lithuani, sive Rusi, *modo Christianam* „*Religionem profiteantur*, tametsi majores eorum jura nobilitatis in Regno „Poloniæ non aquisiverint, per totum nostrum Regnum omnibus privi„legiis, libertatibus, et juribus nobilitatis, illis concessis, perpetuò com„muniterque gaudere, debent, eodem modo ac ratione ac ordo Equitum „et Nobilium tam Lithuanicæ quam Rusicæ originis antea ab omnævo „ad hæc usque tempora omnibus his libertatibus gavisa est. Similiter „ab hoc tempore in futurum ad honores atque dignitates tam senatus „quam Regni, nec non ad omnia munera nobilia, non solum illi qui „ecclesiam Romanam sequuntur, sed etiam communiter ac pari ratione „omnes, qui sunt ex ordine equestri et nobilis originis, modo sint Chri„stiani, tam Lithuani, quam Rusi admitti, ac quilibet illorum pro ra„tione meritorum et dignitatis suæ ad omnes dignitates et munera præ„cipua per nos et gratia nostra promoveri debent, nec quisquam ex or„dine Equestri atque Nobilium propter Religionem suam, *modo sit Chri*„*stianus*, neque propter duos articulos, quorum in Privilegiis anteriori„bus mentio facta est, ab illis excludi poterit.

Duo hi Articuli in Privilegio Sigismundi Augusti memorati et correcti honores et dignitates in Rep. conferendas ad Catholicam Religionem restringebant; ad verò omnes status a Rege, ut eos ad justam æqualitatem redigeret, petebant: quod citato modo Privilegio præstitit. Causæ autem, quæ illi id facere suadebant, hæ erant, quod familiæ Communioni Græcæ adhærentes essent in possessione juris veniendi in Senatum, quod non minorem affectum atque fidelitatem erga Reges suos ostendissent, nec segniorem quam reliqui operam tuendæ Patriæ præstitissent. Idem Rex cum supra citatum Privilegium in proximis Regni Comitiis generalibus confirmare, et, si opus esset, augere pollicitus esset, id ipsa re a. 1568. in Comitiis Grodnoviensibus factum, in quibus Ima Julii die Litteras hujusce Privilegii confirmatorias dedit, quæ eosdem articulos totidem verbis repetitos et accessiones quasdam non spernendas continent. E. g. in Privilegio hoc tantum expressum erat „ut Cives Regni Religionem „Christianam profiteantur; in confirmatione verò additum: „*cujusnam communionis, aut confessionis illi sint*: quibus verbis, si quis eo, quod in Privilegio Religio græca tantum nominata, reliquarum autem nulla mentio facta est, has exclusas fuisse inferre vellet, abundè confutari posset. Deinceps in priori Privilegio verbis generalioribus sancitum erat: „quod „omnes, qui Christiani sunt, ad dignitates Regni muneraque aulica et „provincialia communiter admitti, nec non jure in Senatum veniendi „gaudere debeant; in confirmatione verò nominatim „omnes magnæ dignitates, utpote Palatinatus, Castellaniæ, loca Senatus, muneraque aulica et provincialia, adjiciuntur.

Hoc Privilegium, hæque litteræ confirmatoriæ Sigismundi Augusti in eo temporis puncto, quo gravissimum negotium unionis M. Ducatus Lithuaniæ cum Polonia tractabatur, datæ, præter id quod juri naturali congruebant, quo cives omnes utebantur, qui nulla Religionis ratione habita Senatui interesse consueverant, unioni quoque, quam ad finem perducere cupiebat, efficiendæ inserviebant. Hinc factum, ut eorum privilegiorum generalium et specialium circa hoc negotium concessorum confirmationi adjungerentur, dum Rex iis omnibus in Comitiis Unionis a. 1569. Lublini habitis, quibus M. Ducatus Lithuaniæ Regno in perpetuum accessit, vim Legum simul tribuit: qua etiam de causa Legibus Regni generalibus insertæ fuerunt, cum prædictorum comitiorum constitutio totum illud unionis negotium confirmans hæc ipsa verba contineat: „Volumus, ut hæc Privilegia habeantur pro hic insertis, ac in omnibus „Cancellariis ad acta referantur, et in omnes Palatinatus publica fide „descripta mittantur: ut ex memorata Constitutione sub Lit. C. hic adjecta, videre est (vid. *Constitutiones Regni*, Tom. II. pag. 776. et 779.

Quisnam vi Legis tam solennis status eorum est, qui postmodum Dissidentium notati sunt nomine? æqualesne concivibus suis habentur? nonne eodem id tempore factum, quo unionis Lithuaniæ cum Polonia consummatio huic Regno eam, qua inpræsentiarum floret, formam indolemque dedit? num de tolerantia hic sermo est? Nonne liberrimum Re-

Religionis exercitium civibus, qui naturæ jure eodem jam gaudebant, ea æqualite, qua ad omnia Reip. munera habiles habentur, publica fide conſervatur? Græci enim, qui quinque provincias Poloniæ incorporatas incolebant, quique illius in poſterum nomine vocari debebant, pariter atque Proteſtantes ex antiquis Poloniæ familiis oriundi, nobiles et concives, nullaque ratione pro advenis ad eam perfugientibus, hisve conditionibus, quas Princeps illis præſcribere voluerit, adſtrictis, habendi, Juris potius confirmationem quam beneficium nacti ſunt: ipſumque Privilegium ad ſenatum aditum illis jam patuiſſe teſtatur: nec innovatio, ſed talis rerum ſtatus, qualis antea fuerat ac eſſe oportebat, conſervatio eſt. Disſidentes natura ac poſſesſione concivibus ſuis ſunt pares, hancque paritatem Lex tuetur et publica autoritate ſancit. Jam effectus ejus videbimus.

Data diverſis temporibus Nobilibus Polonis Privilegia libertatem eorum conſtituerant. Hanc autem ut ſtabilem ac ab omni vi tutam redderent, primi interregni commoditate uſi ſunt. Poſt Sigismundi Auguſti obitum a. 1572. Reſp. in foedus coivit, ut ad novi Regis electionem procederet. His autem verbis uſa eſt (vid. *Conſtitutiones.* Tom. II. pag. 841. §. 2. et 3.) „neminem pro Domino noſtro agnoſcemus præter eum, „qui juramento omnia, quæ habemus, et poſt Electionem illi offerentur, „jura, Privilegia et libertates, confirmabit - - - Specialiter illi jurandum „eſt, quod Pacem inter Disſidentes quoad Religionem illæſam ſervaturus ſit.„ Græci atque Proteſtantes, qui tum non minus, quam Catholici, rerum adminiſtratione fungebantur, in hac confoederatione pari cum Concivibus ſuis jure cenſentur. Eosdem ſubeunt labores, parilemque fructuum partem ſumunt. Inter conditiones ea præcipua eſt „ ut „Rex pacem inter Disſidentes ſervet:' quæ ſtipulatio, utpote nova, cauſa fuit, ut antiqua juramenti formula mutaretur, quam de ſimplici tolerantia intelligere abſurdum foret. Non enim dicitur, *cum Disſidentibus*, qui termini non ita dudum adhibentur, quo jura controverſa tenebris involvi atque Disſidentes peregrinorum et a Rep. alienorum inſtar haberi queant, quorum tolerationem pro lubitu mutare, augere, vel minuere fas ſit. Dum omnes Cives Privilegiorum ſuorum confirmationem poſtulant, quis Disſidentes pariter ac aliis Religionibus imbuti his omnino pares, ſummisque Reip. Dignitatibus ornatos, juramento generali communia inter illos Privilegia ſuſtinente, comprehendi negare auſit? Et adjectus Conſtitutioni, Regique præ aliis commendatus articulus, ut Pacem inter Disſidentes ſervet, nonne tam ad Catholicos contra conamina alias Religiones profitentium, qvam ad hos contra Catholicorum auſa tuendos æque valet?

Idemne omnibus inditum Diſſidentum nomen novum æqualitati, quæ inter cives eo præcipue temporis puncto cernebatur, quo proprie tales eſſe incipiebant, pondus addit? memoratæ enim confœderationi plenum jurium poteſtate regia eatenus limitatorum uſum debent. In hac non dicitur: *inter illos qui a Religione dominante diſcedunt;* cum Religiones omnes ſortem eorum, qui iſtas amplexantur, ſive naturæ potius jus, ſequentes, non minus æquales quam ipſi Cives erant. Omnes etiam eo momento, quo natio Polonica Familiæ, quæ tam diu regnaverat, dominatu liberata, Reges ſuos eligere cœpit, horumque electioni conditionibus Regi novo, ab ipſa vocato, ac libertatem civium autoritate familiæ ſolio asſuetæ non impedienti, præſcriptis, perennem formam indidit, ita ſenſiſſe in propatulo eſt. Quis tempus ullum eſſe affermaverit, quo natio ad principia regiminis ſui attentior, commodorumque ſuorum peritior cenſeri queat? nonne quidquid tum agit, pro vera ſanctione ſua pragmatica haberi & propter impreſſam ei ſapientiæ notam, eamque maxime, qua conſtituitur, autoritatem, ſuſpici meretur?

Reſpublica confœderata turbas ex Religionum diverſitate, quarum exempla in aliis regionibus viderat, metuens, ſic in memorata Confœderatione pergit: „ſpondemus omnes pro omnibus & pro ſucceſſoribus noſtris, „in omnia tempora, juramenti, fidei, honoris & Conſcientiæ noſtræ vinculo, pacem inter nos, qui ſumus *Diſſidentes de Religione*, conſervare, nullumque ſanguinem effundere, aut ulli, quisquis ſit, pœnas confiſcationis bonorum, infamiæ, carceris, ſive exilii, propter fidei rituumque Eccleſiarum noſtrarum diverſitatem irrogare - - - multo potius ſi aliquis hac de cauſa „concivium ſuorum ſanguinem effundere vellet, omnes ei, etiamſi prætextu „latæ ſententiæ, ſive alius cujuſdam actus judicialis, uteretur, obſiſtere tenebimur - - - In fine Conſtitutionis hæc verba adjiciuntur: nobis mutuo „ac poſteritatis noſtræ nomine quidquid ſupra expoſitum eſt, per fidem, honorem, & conſcientiam noſtram, ſancte obſervare ſpondemus; & ſi aliquis „ei obſiſtere, ſicque pacem publicam & bonum ordinem turbare auderet, nos „omnes contra eum inſurgemus, necique eum dabimus. Datum in Comitiis Regni generalibus, die 28ma Ianuarii a. 1573.

Secundum unanime hoc Reip decretum Henricus Valeſius ſtatim per Legatum ſuum, ac poſtmodum ipſe juramentum ſequenti tenore illi præſcriptum præſtitit: (vid. *Conſtitutiones* Tom. II. pag. 863.)

„Ego Henricus - - - promitto ac juro coram Deo omnipotente, me „omnia jura, immunitates & Privilegia tam publica quam ſpecialia, Eccleſiaſtica & ſecularia - - - quæ Reges anteceſſores mei conceſſerunt - - quæ „ab omnibus ordinibus interregni tempore fuerunt conſtituta & mihi nunc „oblata, eſſe obſervaturum atque tuiturum - - - Pacem inter Diſſidentes

„de Religione protegam ac tuebor, nec quemquam, quisquis ille sit, propter „Religionem ullo modo, vel per judices & officiales nostros, vel alios, qua„cunque autoritate gaudeant, inquietari & opprimi patiar; nec ipse ullum „inquietabo & opprimam - - - Ita me deus juvet.

Hocce Henrici juramentum in omnibus Electionibus ac Coronationibus posterioribus regulæ loco fuit, cum exemplar Confœderationis a. 1573. Constitutionibus & legibus Regni insertum, ac quoad ea, quæ Religionem spectant, quovis novi interregni tempore verbotenus iteratum, post hæc quoque inter Regni Leges constanter relatum fuerit. In Confœderatione post obitum Vladislai a. 1642. facta totidem verbis reperitur, & confœderatio hæc se ipsa æternam vocat. (vid. *Constitutiones*. T. IV. pag. 150. & 172.) Rex Stephanus novam istam juramenti formulam, qua de pace inter Dissidentes cavetur, pro se & successoribus suis accepit. (vid. *Constitutiones*. Tom. II. pag. 921. §. 18.) Juramenta Sigismundi III. Joannis Casimiri, Michaelis, Joannis & Augusti II. in dict. *Constit*. Tom. III pag. 1096. IV. p 205, V. pag 282. & VI. pag. 5. leguntur.

Omnia hæc juramenta, quæ pacem inter Dissidentes confirmant, menti Confœderationis a. 1573. perpetuo respondent. Ista enim usum atque vigorem semper obtinuit in Rep. quæ statim senserat, quam difficile esset, pacem adeo perfectam inter membra æqualia, ut omnes cives sunt, servare, Legemque validissimam ejus tuendæ causa ei prescribendam fore, cujus regimini se ipsa permitteret. Hæc paci dicata Lex pro omnibus Civibus facta est; *inter nos, qui de Religione dissidemus*. Catholici, per hanc dissidentium nuncupationem, prima tum vice in Rep. cognitam, tales se concivium suorum intuitu censuerunt, stipulati sunt, ne ea de causa ab illis inquietarentur, pariter ac istos non inquietarent ipsi. Lex publica, omnibusve communis est, cujus observationem his verbis utrique sibi promiserunt; *mutuo spondemus*. Numquid aliud ex reciproca hac sponsione tam Solenni actu facta concludi potest, quam summa inter cives, quoad ipsam Religionem, æqualitas? & dum æqualitas in re tam ardua, quam Religio est, diserte constituta cernitur, tametsi Catholici hanc in dominatum civilem vertere non dubitaverint, quis eodem tempore paritatem æque perfectam ac Legibus non minus quam ipsis factis congruam, in juribus ex nativitate & civium statu oriundis, non extitisse sibi persuaserit?

Tam anxiam sollicitamque hujus pacis curam habuerunt, ut cum anno 1576. die 4. Maji, Rex Stephanus usitates litteras jura & immunitates nationis Polonicæ confirmantes subsignaret, hæc ibi notabilis Clausula conspicatur: „quæ hisce Litteris, quoad Privilegia & Libertates Ecclesiasticas, aliasque res, ratihabuimus, derogare non debent articulo Juramenti nostri, in „quo de pace atque tranquillitate inter Dissidentes de Religione agitur, quam „conservabimus & manutenebimus, promittentes, & spondentes nos eam „firmiter constanter & ipso facto servaturos esse. (vid. *Constitut*. Tom. II. pag. 905.) Prædictus Rex sic loquens, Romano-Catholicis, qui ex hoc quod libertates eorum Ecclesiasticæ confirmatæ fuerant, noxias aliis Religionibus conclusiones deducere potuissent, omnes prætextus adimere voluit. His igitur ut obicem mature poneret, utramque partem pariter & conjunctim omnia jura atque libertates suas servare oportere, declaravit. Insigni hac clausula, facta ab eodem Rege confœderationis a. 1573. confirmatio, corrigi potest. Ista enim non ea solennitate, qua in confœderationibus generalibus nationis fieri debet, repetita fuit (vid. *Constit*. Tom. II. pag. 897.) Si enim sæpe memorata inter Dissidentes pax ad tres Religiones, Græcam nempe, Reformatam & Lutheranam, restringi posset, cur Privilegiorum Catholicorum confirmatio paci inter Dissidentes opposita hic fuisset? at vero vel minima uni ex quatuor Religionibus concessa Prærogativa pacem, quæ omnibus communis esse debet, ac æqualitatem, quæ istam pacem peperit, lædit. Quod Catholici generali Dissidentium nomine comprehensi fuerint clarius adhuc ex Contentis Confœderationis a. 1586. sub lit. D. hic adjunctis patet. Hac quippe confirmatæ a Regibus Henrico & Stephano Confœderationi inter Dissidentes omnes vis atque valor relinquitur. (*)

Jura Dissidentium tempore Electionis Augusti II. in pleno adhuc erant vigore. Præter juramentum de pace servanda, ei quod antecessores suis praestiterant, simile, Diploma confirmationis sic habet: „ Etsi per præsen„tes has Litteras, Privilegia Libertates Ecclesiasticas, aliaque confirmando, „in juramento nostro Ecclesias Romano-Catholicas nominaverimus, id Ec„clesiis Græcis eorumque privilegiis nocere non debet, eaque potius in „omni suo vigore conservare: nec alii juramenti nostri Articulo, quod „nempe pacem atque tranquillitatem inter Dissidentes servabimus ac ma„nutenebimus, derogare volumus: promittentes ac spondentes, eam nos „firmiter, constanter & ipso facto esse servaturos. Cracoviæ in Comitiis „Coronationis, die 29. Septembris a. 1697. (vid. *Constitut*. Tom. VI. pag. „7. & 8.

Quis persuadere sibi patietur, Remp. Ecclesiarum Catholicarum nominatione Græcas lædere veritam fuisse, si perfectæ ac stabilitæ in tam gravi

(*) Ex hac Regum Henrici & Stephani confirmandi ratione Confœderatio anno 1573. clare agnoscitur. Si alia quædam esset, confirmatio hæc, facultasque, que ipsi conceditur, ipso facto sententiam a tribunali latam rescindendi, pro non contemnendo Dissidentum jure haberi mereretur, locumque, quem hi in Rep. obtinent, ostenderet.

gravi libertatis, præsentisve regiminis monumento inter Cives æqualitatis nulla ratio habita esset? Si in Confœderationibus particularibus, quæ turbarum ac odiorum non sunt expertes, a vera Reip. constitutione nonnunquam receditur, ad eam tamen eo notabili temporis puncto, cum novi Reges de Juribus, Privilegiis ac Libertate nationis cavent, omnes semper redeunt; tum enim communis incolumitas omnium oculis obversatur, æqualitasque jura sua recipit.

Ejusdem adhuc effectus in nova sponsione cernuntur, qua idem Rex Augustus II. Dissidentium jura atque promotiones ad dignitates, Regni conservare pollicetur. Cum enim Pacem, qua Dissidentes frui debent, pactis conventis solenniter confirmasset, his verbis utitur: „In distributione locorum in senatu, nec non starostiarum ac jurisdictionum, ei quod semper a „p. m. Regibus Johanne Casimiro, Michaele & Johanne III antecessoribus „nostris scrupulose semper olim observatum & actitatum est, nos *examussim* „confirmare curabimus. Mennonistas tamen, Anabaptistas & Quakeros „excipimus, qui reliquorum Dissidentum juribus gaudere non debent, quo„rumque intuitu latas contra Arrianos Leges ac constitutiones omnes renovamus„ (vid. *Constit.* Tom. VI. pag. 18.)

Ex his quæ de jure Dissidentium nationali supra allata sunt, liquido patet, libertatem Religionis ab a. 1563. usque ad a. 1699. pro lege status habitam, cultusque Divini diversitatem juribus civibus omnibus ad quælibet Regni munera competentibus, æqualitatique in Rep. tam necessariam, nulla ratione obfuisse: Hocque jure, quod a natura acceperunt, cum sub sacra Regum suorum tutela re ipsa gavisi sint, hujusmodi possessio tam suspiciendo titulo innixa novum denuo jus eorum respectu parit. Jam in actis Conventus Sendomiriensis a. 1570. quatuor Palatinorum Lutheranorum, & in Confœderatione, quam ritui græco addicti Poloni a. 1599. formarunt, viginti duorum senatorum subscriptiones conspiciuntur. Haud minor in actis Confœderationum ac Comitiorum sequentium plurimorum senatorum, officialium aulicorum, aliisque Regni muneribus perfungentium Dissidentum numerus apparet. Græci pariter ac reliqui munera hæc ante sustinuerant, quam Leges Reip. eos Religione ab illis non excludi sancivissent, cum non minus quam concives sui ad eadem habiles essent.

Neque ea, postquam pax inter diversas Religiones Legis publicæ autoritate communita fuit, explere cessarunt. Ex duabus hisce possessionibus, sive illam, quam natura nacti sunt, sive istam, quæ jure populi fulcitur, eligas, ad vim earum nihil refert. Utraque enim Dissidentibus æque favet, ac patriæ incolumitate sustinetur. Nullo sane tempore Resp. fortunatior, potentior, honoratiorque fuit, quam eo, quo primis atque

atque veris institutionis suæ principiis insistens, omnia sua membra indiscriminatim ad rerum administrationem vocavit, illorumque opera atque studio ab opinionum vi semper immuni usa est. Quis autem tam felicis unitatis cursum ac progressus, quibus potius solidanda erat, sistere ausus est? Dissidentes civium munia eadem diligentia obire nunquam desierunt. Nullæ adversitates eorum injuriæ, malevolentiæ, aut molitionibus contra fratrum suorum securitatem atque libertatem imputari queunt. Dubio tamen caret, non nisi criminibus hominum statum mutari posse. Quemnam concivium in Religione turbarunt, aut quo tempore datam de se hujus causa mutuo non lædendis fidem violarunt? Nemo profecto hactenus eos hac in re accusavit, Reique publicæ noxios aut timendos fuisse probare potuit. Illorum depressio non orta est ab hominibus de veri nationis Polonicæ commodis deliberantibus, eaque curate ponderantibus ac æstimantibus: sed ausis eorum, qui jura omnibus communia susque deque habuerunt, pacta mutua violarunt, debiliores oppresserunt, effecta. Rex ille, qui regno ab extera quadam gente ob Religionis diversitatem se extrusum arbitratus est, hanc sibi vindictam sumere constituit, ut Dissidentes ad eminentiores dignitates vocare intermitteret. Successores ejus cum iisdem vestigiis insistere pergerent, Dissidentes sensim paullatim ab omnibus fere deliberationibus sunt exclusi. Tecta hujusmodi persecutione numerus eorum decrevit, et cum demum sat debiles esse visi sunt, ut oppressioni amplius obsistere nequirent, factæ diversis temporibus tum contra libertatem Religionis, tum contra habilitatem eorum ad Reip. munera usurpationes in jus verti coeperunt. In Comitiis a. 1717. publica primum autoritate contra eos actum est. Communio enim Catholica diuturnis belli turbis ac vicissitudinibus commoda sua promovit, eumque in modum vires suas adauxit, ut constitutio quæ liberum istorum Religionis exercitium ad templa ante leges ab ipsis non agnitas exstructa restringit, pœnasque pecuniarias, carcerem et exilium Religionem suam præscripta ratione non exercentibus irrogat, plurimorum suffragio tum ferretur. Tantum tamen abfuit, ut ejusmodi lex toti se Nationi probaret, ut nemo ignoret, quantis difficultatibus ejus latio implicita fuerit, quaque opera membra Patriæ suæ jurium ac commodorum probe gnara ei obrogare fategerint: qua in re gratum illis quorundam Episcoporum Patriæ suæ eo usque amantium, ut justitiæ ac Reip. incolumitatis causa partium studia seponerent, venit adiumentum. Ipse præprimis Rex injuriam, qua Dissidentes afficiebantur, vivide sentiens, sed tempori cedere coactus, Diploma sub Lit. E. hic adjectum illis denegare non potuit, quo memorata Constitutione Confœderationi a. 1573. aliisve, nulla in re

re derogari declarat. Sola equidem Regis autoritate comitiorum acta irrita reddi nequeunt, at si vero Comitiis una tantum civium pars interest, quis huic contra alteram quidquam decernendi facultatem jure tribuet? Quis denique Catholicorum artes in hoc negotio præcipuas fuisse ignorat? Omnis Reip. vis in eorum reposita erat manibus. Necessitate adacti, ut Regem sacris eorum novissime initiatum in regni possessionem restituerent, autoritatem ejus eò arctioribus limitibus circumscribendam esse arbitrati sunt, quo fauentiorem pristinæ suæ religioni istum fore credebant, ac solus, qui plerosque tum invaserat, timor tam longe a recto tramite recedere suasit.

Hoc tamen temporis puncto contra habilitatem eorum ad Reip. munera nihil adhuc decretum, eaque potius singulari articulo per modum exceptionis ipsis reservata fuit, qui Cancellarios factos illis beneficiorum collationes, nisi Catholicorum damnum absit, sigillo munire vetat. (vid. *Constit.* Tom. VI. pag. 242.)

Tam prospero rerum suarum progressu animati, in Commitiis a. 1736. modum jam nullum servare ac Dissidentes a nunciorum functione, magistratuum gestione, omnibusque omninò Reip. muneribus, tandem excludere atque repellere sustinuerunt.

In hac agendi ratione id maxime mirum videtur, quod pax secundum Leges antiquas, bonorum atque fortunarum suarum securitas, personarumque æqualitas illis promittantur, ac dum muneribus interdicuntur, hæc clausula: *salvis modernis possessoribus*, adjecta sit. Hoc ipso enim jurium illis competentium possessio in Constitutione, qua Catholici sine causa æqualis Reip. munerum distributionis usum mutare non verentur, agnoscitur. Dissidentibus cum personarum æqualitatem, excepta tantum munerum communicatione, reservant nonne constantem æqualitatem tam facto quam jure anté hanc limitationem extitisse fatentur? Principia regiminis eo ipso temporis momento, quo destruuntur, in conspectu manent. Ipsa eorum eversio, quod vere fuerint, probat. At ubi jus ea evertendi cernitur? Quis hoc enim ipsis his principiis inesse somniaverit? Cum civium æqualitas coitionis nobilium Polonorum lex fundamentalis sit, Catholici, qui concivibus suis tantum æquales sunt, hanc æqualitatem exuunt, seque solos Remp. constituere declarant. Hinc factum, ut a. 1718. delegatos ad Comitia nuntios repellere coeperint, et ab inferenda illis vi vix manus continuerint. Hujusmodi repulsio, huicque oppositæ protestationes, omnibus temporibus ad impediendam præscriptionem sufficient, si quæ contra jura tam sacra tamque irregulariter eversa, locum habere posset. Comitiis, quæ una tantum civium parte constant, tanta nunquam autoritas tribui potest, ut vel naturali jure, vel legi fundamentali Reip. formam danti, par haberi queat. Numero Catholici prævalent: id Dissidentes non ignorant, imo ipsa re experiuntur. Hic'ne verò juris loco esse poterit, quo illis concives suos a communi rerum administratione removere, membrorum Reip. qualitate privare, et ad conditionem subditorum redigere liceat? Dissidentes, qui æquales suos de primigeniis unionis eorum vinculis judicium, ipsis non consultis, ferre non potuisse plane probeque persuasi sunt, injustitiam autoritate, qua caret, se communire vident: cui tandem ut occurrant, totque titulis sibi debita vindicent, ante justæ defensionis subsidia, a summis Potestatibus Pacis Olivensis ac Moscoviensis pactis statum eorum tueri adstrictis, imprimis autem ab Augusta Russiarum Imperatrice, ut veteri ac naturali Patriæ suæ socia, cujusque formam Reip. Poloniæ perennare maxime interest, opem, petierunt.

Quemadmodum jura eorum primis Reip. Legibus indubie fundata sunt, sic etiam pacta cum Potestatibus exteris inita novam illis vim superaddiderunt, ac sacræ juris gentium tutelæ commiserunt.

Per art. II. Pacis Olivensis, qui secundum declarationem ac extensionem, quas illi Regis Suecorum Legati dederunt, eoque sensu, quo simul cum horum Legatorum declaratione a Rege ac Rep. fuit ratihabitus, Dissidentes de amnestia generali participant, et in statu, quo ante bellum hac pace finitum, fuerunt, manutenentur. Disertis enim verbis dictum est, „quod nullæ leges antiquæ contra haereticos, sic dictos, sint sancitæ (vid. *Art. II. Pac. Oliv.* ac *Decl. cum Ratif.* sub Lit. F. et G.)

Pactorum Moscoviensium art. 9. Episcopatus, abbatiæ, communitates et communionis græcæ incolæ in Religione sua conservantur, et contra omnem persecutionem in tuto collocantur. (vid. hic art. sub Lit. H.)

Dissidentes perpetua concivium suorum justitiæ denegatione, continuaque persecutione, quæ jam ad summum venit, et in posterum tristiora adhuc præsentibus fata eis præparat, ad incitas redacti, omnem suam spem in immutabili jurium suorum vi, pactorumque cum Potentiis Patriæ suæ sociis ac amicis sancitorum columine reponunt.

Possetne Imperatrix, nisi justitiæ quærelas non exaudire, omnemque humanitatis sensum deponere vellet, acerba hominum ipsa eorum debilitate infelicium, ejusdemque fidei communione cum illa conjunctorum statu non commoveri? Augustæ Principi Dissidentium jura ac causæ justitia satis cognita, simulque nosse volupe est, id quod habet, quodque Religione ac commiseratione commendatur, illos tuendi jus non sequioribus fundamentis inniti.

Præter

Præter ſolidisſima, quæ ex Imperii ſui cum Polonia vicinitate utrique inſtant commoda, cuiusque hæc ſub Anteceſſorum Imperatoriæ Suæ Majeſtatis, ſuōque maxime Regnis tot tantaque emolumenta recepit, Imperatrix promisſis, quæ interregni tempore de tuendis, quantum in ſe eſſet, ejus incolumitate ac tranquillitate dedit, ſe alligatam cernit. Remp. deſeruiſſe videretur, ſi illa in totum completa exiſtimaret, dum hæc graviſſimis diſſenſionum periculis expoſita ſibi relinquitur. Id ipſum extra omnem dubitationis aleam ponitur, ubi ab altera parte Imp. Sua Majeſtas Imperii ſuis pactis ſtare obligatam ſe agnoſcit. Hac enim obligatione animi ſui ſenſum ac officia inter ſe conciliare licet, dum amicæ pariter ac Potentiæ libertatem Religionis hominum communioni ſuæ addictorum defendere adſtrictæ partes ſuſtinet. Nec tantam demum præjudiciorum vim eſſe arbitratur, ut ex eo quod tractatu a. 1686. Religioni ſolum caveatur, ſtatum civilem curæ illi eſſe non debere, captioſa diſtinctione quis elicere conaturus ſit. Afferat enim neceſſe eſt aliam quandam præter Religionem rationem, culpam, aut crimen contra Remp. commiſſum, quibus Diſſidentes ab ea removeri meruerint, ſi Imperatrici perſuaſionem Catholicos Religionis libertati, quam integram ſervare tenetur, non nocuiſſe, velit adimere. At vero propter ſolam Religionem eos opprimi, quin ejusmodi pœnis, quæ omnium merito graviſſimæ habentur. Civitatis nempe ademptione, qua ex Reip. membris ſubditi ejus efficiuntur, affici omni caret dubio. Quis ſanus enim libere ac tranquille Religionis ſuæ exercitio eum gaudere putaverit, cui ſtatus ſui in Reip. quo nemini inter Cives ſecundus eſt, pretio illud ſit redimendum.

Imperatoria Sua Majeſtas, omnes Poteſtates, quibus Religionis in Polonia cura incumbit, quibusve pacis Olivenſis pacta indubium eam tuendi jus tribuunt, monitionibus ſuis Reip. patefactis, in eadem ſecum ſententia ac voluntate eſſe, magnopere gaudet. Si vicinitas opem, quam illi debet, inſtantiorem reddit, ipſa ejus tum ante hac, tum in poſterum in hoc negotio agendi ratio propoſiti ſui cauſis, finique ſincerrimo approbandis ſufficiet.

A. PRO MEMORIA.

Imperatoria ſua Majeſtas totius Ruſſiæ, Domina Noſtra clementisſima, tam propter pactorum publicorum, quæ inter Eam & Rempublicam Poloniæ extant vincula, quam ob commune bonum maximi æſtimandum, quo ſubditis Reipublicæ, eandem cum ea religionem profitentibus, cæteriſque Diſſidentium nomine vulgo notis, jungitur, æquo animo ferre nequit oppresſum ſtatum, in quo Nationis pars tam inſignis vel ideo verſatur, quod fidei dogmata ſequitur publico uſu recepta, tot tantiſque, Europæ Potentiis, regnis atque gentibus comprobata firmataque, præterea ipſarum legum Reipublicæ fundamentalium auctoritate. Verum enim vero quum Diſſidentes haud aliter ac vagi obſcurique ſectatores habeantur, & ex aliquo abhinc tempore, imprimis autem ſub præterito regimine, per conſtitutiones obreptitie factas, aliaque media violenta & legibus contraria, variis juribus, privilegiis & prærogativis privati ſint, quibus antea fruebantur virtute legum liberæ Reipublicæ fundamentalium, omnibus civibus perfectam æqualitatem ſpondentium; quumque adhuc in rebus, quæ ad religionis cultum & exercitium publicum ſpectant, ſummo opere premantur & adfligantur: ideo infra ſcripti Orator extraordinarius & Miniſter plenipotentiarius ab Imperatoria Sua Majeſtate totius Ruſſiæ juſſi ſunt, Suæ Majeſtati Regi Poloniæ præſenti hoc ſcripto rem humillime exponere, quo id gratioſiſſime curare velit, ut Diſſidentes tum nobiles, tum inferioris conditionis, benigne audiantur & ad regulam conſtitutionum generalium & fundamentalium Reipublicæ in plenam poſſesſionem omnium jurium, libertatum & prærogativarum, quibus nemine neſcio, ante hac fruiti ſunt, & nominatim eorum, quæ vel aliquo modo ad liberum religionis exercitium pertinent, reſtituantur; quandoquidem iis, qua indigenis, civibuſque Reipublicæ liberis, integris & fidelibus ea jura haud dubie competunt atque ex abundanti compluribus adhuc legibus & conſtitutionibus, omni exceptione majoribus, iterum iterumque ſunt confirmata. Perſuaſum itaque infra ſcripti ſibi habent, Suam Majeſtatem Regem Poloniæ, qui a Gente ſua, inaudito exemplo, omnium ſuffragiis feliciter electus, tam glorioſum virtutis præmium nunc reportavit, omni Sua auctoritate ad id eſſe uſurum, ut quæ jamjam expoſita ſunt, ad exoptatum effectum mox deducantur, atque hoc modo pacta Gentis utriuſque mutua quam religioſiſſime ſerventur. Firma hac fiducia freti ſucceſſum exſpectabunt negotii, cujus cura ipſis demandata eſt, & quod non poterit non amicitiæ & concordiæ, quæ inter utramque aulam ab antiquo feliciter intercedunt, vincula arctius conſtringere. Datum Varſoviæ die 14 Septemb. 1764.

Signatum, Herrmannus Comes a Keiſerling.
Nicolaus Princeps a Repnin.

B.

DECLARATIO

Suæ Imperatoriæ Totius Rusfiæ nomine, per oratorem Suum extraordinarium & plenipotentiarium celsisfimum Principem Repnin confœderatæ Reipublicæ Polonæ in Comitiis anno 1766to facta.

Religionis communitas, & gloria ad humanitatis felicitatem aliquid contribuendi, non unicæ sunt causæ, quæ intercesfionem, quam Sua Majestas Imperatoria pro incolis Græcis & Disfidentibus, hocce in Regno degentibus, hodie quam instantisfime reiterat, effecerunt, ut nimirum oppresfio, sub qua illi gemiscunt, cesset, & ut in statum pristinum, in quo tanquam concives æquales & tanquam membra liberi status esse debent, restituantur. Infrascriptus, ut omnia ordine tractet, primum exponet, tanquam rem, quam codex Legum nationis Polonæ confirmat, quod Græci & Disfidentes semper, in felicisfimo ipso Reipublicæ statu, ita fuerunt habiti & considerati, quo modo nunc haberi & considerari desiderant, & quod tranquille, sine ulla restrictione, omnibus gavisi sunt immunitatibus, quæ eis de jure conveniebant. Hæ immunitates illis sancitæ & confirmatæ fuerunt, per hoc vinculum, quo Nationes junguntur, per Conuentiones religiosisfimas, quæ jus publicum inter eos & suos concives constituunt, & quarum executionem omni tempore prætendere posfunt: nunquam enim per constitutiones civiles, unius partis status infringi vel annihilari potuerunt.

Talis contra solem loqueretur, qui non pro principio immutabili habere vellet, quod perpetua recusatio eorum petita & exposita audiendi, eisque ad eorum gravamina justitiam faciendi, tandem istum necesfario produceret effectum, ut vinculo ejusmodi societatis, in qua nullius commodi amplius participes esse posfunt, soluti & in hominis liberi statum plene & integre constituti, de jure ex vicinis suis judices inter se & sui similes sibi eligere, & ratione fœderis eorum auxilium implorare debeant: quem ausum quoque nulla lex, nec humana, nec divina condemnare potest, si nullo alio modo a persecutionibus liberari posfunt.

Ratione

Ratione circumstantiarum temporum præteritorum deperditus hic rerum status pro Republica tam perniciosus, timendus erat; feliciter tamen huic rei fuit provisum per authoritatem & valorem, quem tractatus cum exteris Potentiis initi, his Conventionibus nationalibus & internis regni Poloniæ dederunt. Ex quo tempore conservatio & integritas status Reipublicæ, ejusque tranquillitatis non amplius ad suos tantum spectat cives, eorumque attentionem requirit, sed illa quoque debitum & obligatio pro vicinis est facta, qui paciscendo cum Republica, una & simul cum omnibus ejus membris iniverunt pacta.

Hoc ex capite igitur Rusfia, præcipue vero vigore tractatus anni 1686. aliæ autem Potentiæ, quæ hodie pro eodem scopo laborant, virtute pacis Olivensis tenentur, securitati utriusque partis status invigilare, ut omnis disunio inter eos avertatur, ut justitia eis exacte reddatur, vel multo magis, ut omnes & singuli tam in genere, quam in specie, in eo, quod eorum jus commune efficit & constituit, conserventur.

Hoc argumentum igitur tam validum, quam Tractatus conclusi executio, nunc norma quasi est, quam Imperatoria Sua Majestas sequi debet, ad efficiendam restitutionem incolarum Græcorum & Disfidentium in omnia sua jura, & ut circa ea integre conserventur.

Si rationes adhuc validores adjungimus, quæ ex situatione Imperii Rusfici respectu Reipublicæ oriuntur, unusquisque facile sentiet, quod Imperatoria Sua Majestas protectionem, quam eis concedit restringere non posfit, si illa non contra propriam Suam gloriam, Imperii Sui dignitatem & confidentiam, quem suis debet amicis agere vult.

Non ea hoc fit intentione, ut Respublica novas gratias agat, quando ea iterum ante oculos ei ponuntur, quæ Imperatoria Sua Majestas pro illa fecit: hoc in hunc tantum est finem, ut res, quæ ad hoc ansam præbet, eo sensibilior reddatur, & ut eo melius cognoscat necesfitatem, quæ vult, ut ratione objecti, pro quo intercedit, plena ei detur satisfactio, clare simul exponens, minime ferri posse, ut a proposito desistat, eoque magis, quia Respublica ipsa ad hoc ansam ei præbuit.

Imperatoria Sua Majestas vera sinceraque amicitia ducta, ad implendum bonæ vicinitatis officium omnia libenter contulit, &

adhuc

adhuc confert, quæ Reipublicæ ſtatum felicem reddere posſunt. Magna igitur animi ſatisfactione invitationem a tota inclyta gente Polona confœderata ei factam accepit, ut nimirum ei asſiſteret, quo tranquillitas in Regno ſuo reſtituatur, libertas confirmetur, & libera Piaſti electio efficiatur.

Sat ſatisque omnibus conſtat, qua animi magnitudine, quoque generoſo affectu Imperatoria Sua Majeſtas, ad hanc auxilii ſui invitationem ſe præbuit, vicinæque ſuæ rem fortiter ſuſcepit, ut omnes Regni Poloniæ incolas felices redderet.

Electio libera Regis ex gente ſua, quod primum quaſi erat objectum, cur auxilium Imperatoriæ Suæ Majeſtatis fuerat imploratum, tanta tranquillitate, tantaque ſenſuum unanimitate facta eſt, ut Reſpublica vix unum tale posſit producere exemplum. Licet Imperatoria Sua Majeſtas hocce in puncto, omnia tam bene & ex voto perfecerit, illa tamen opus ſuum imperfectum crederet, ſi quædam civium pars ſuperesſet adhuc, quæ tam felici amicitiæ Suæ effectu non plene frueretur: ſemper enim putaret, ſe ſcopum ſibi præfixum, ab aliisque propoſitum, non perfecte attigisſe, tam diu, quam disſenſio iſta interior, ratione Disſidentium adhuc duraret.

Hanc ob cauſam Imperatoria Sua Majeſtas, gloriæ ſibi ducit, de confidentia, quam tota Reſpublica in eam habuit, nihil diminuere, ſed econtra ſuam vult asſiſtentiam, ſuumque auxilium, quod hucusque tam felici ſucceſsu adhibuit continuare, usque ad deciſionem puncti tam ardui, tam magnique momenti, & in quo civium felicitas ex una parte conſiſtit.

Imperatoria Sua Majeſtas reiterat iterum petitum Suum inſtantiasque ſuas, ut nimirum hisce in comitiis, hic disſenſionis fons & origo occludatur, & ut Reſpublica tota tranquilla reddatur.

Imperatoria Sua Majeſtas, commendando hanc rem, & rogando Regem totamque inclytam gentem, ut eam ea attentione, quam dignitas, & gravitas ejus requirit, pro bono publico tractent, ſub duabus eam conſiderat faciebus, nimirum quo ad ſpirituale & quo ad temporale.

Licet, quod ad primum, Græcorum & Disſidentium jura minime in totum fuerint annihilata, abuſus tamen, tam valde fuerunt multiplicati, & eo ſunt progresſi, ut Religionis libertas fere in nihilo nunc amplius conſiſtat, & ad incitas quaſi ſit redacta.

Infra-

Infraſcriptus igitur Imperatoriæ Suæ Majeſtatis, Dominæ Suæ clementisſimæ, nomine poſtulat, ut hi abuſus plene abrogentur, et ut talis feratur lex, taleque fiat ſtatutum, ne amplius ſit timendum, ut tales vel novi in poſterum iterum introduci posſint abuſus: id quod forſitan aliter fieri non poterit, quam ſi in præſentibus Comitiis conſtituatur:

1mo.

Vt Eccleſiæ, quæ de jure Disſidentibus conveniunt, quæque injuſte eis ablatæ fuerunt, illis reddantur; ne impediantur eas reædificare, vel reparare, quæ injuria temporum, vel incendiis fuerunt deſolatæ, vel vaſtatæ; ut nunquam in adminiſtratione baptismi, matrimonii, ſepulturæ, ut & in libera adminiſtratione ſacræ cœnæ, tam in templis quam apud ægrotos perturbentur; ut omnium rerum liberum habeant uſum, quæ dignitas & reſpectus, quem rebus ſacris debemus, poſtulat; exempli gratia, uſum campanarum, veſtimentorum ſtatui Eccleſiaſtico tam Græcorum quam Disſidentum convenientium; ut illis ſit licitum ſua habere cæmeteria; uno verbo, omnia ſine ullo impedimento facere quæ ad ſacramenta & cultum divinum in unaquaque religione ordinatum & receptum, ſpectant, & ſub quo integra libertas cultus Divini comprehenditur.

2do.

Ut ad Religionis libertatem, toto in regno firmiter & generaliter ſtabiliendam, in præſentibus comitiis ſit ſtatutum & ſancitum, ut in omnibus civitatibus, oppidis, villis & pagis, ubi Græci & Disſidentes nullum habent templum, vel ſacellum, illis, qui has profitentur Religiones, & qui domicilia ſua ibi figere volunt, licitum ſit atque permiſſum, his in locis templa, cæmeteria, ſacerdotes & miniſtros ſuos habere; ut ſacerdotes & miniſtri a jurisdictione ſpirituali non impediantur, quo minus officiis ſuis tranquille fungantur, & ſacramenta Religionis ſuæ addictis adminiſtrent.

3tio.

Quoniam libertas Religionis jure Divino eſt permiſſa, & res eſt, quæ unicuique incolæ maxime cordi eſt; uniuscuiusvis igitur Regiminis bene conſtituti eſt, ut omnes ſubditi hoc gaudeant jure, & ne in ullo ab alia pendeant Religione. Hoc principio poſito, exactiones, quas Disſidentes Eccleſiaſticis & plebanis catholicis, pro ſepulturis, matrimoniis, & baptiſmo ſoluere ſunt coacti, non aliter tanquam abuſus conſiderandi

 ſunt;

sunt; variusque earum modus, variis in prouinciis usitatus, sat & abunde demonstrat, quod nullum ad hoc habent jus: tales abusus, omni jure destituti, nullum possunt acquirere valorem per Constitutionem aliquam privatam, seu particularem, ubi illi, quorum res præcipue hic agitur, suffragii libertatem non habuerunt. Justitia igitur ipsa vult, ut abusus iste abrogetur, & si omnes status consentiunt & conveniunt, ut certa quædam distinctio pro Religione Dominante in libero statu conservetur, solutio quædam moderata semel pro semper est stabilienda, quæ magis honorarium quoddam, quam exactio nominari possit.

4to.

Seminarium Græcum Mohiloviæ nullo modo unquam turbari debet, ut in illo juventus Græcæ Religioni addicta, libere & tranquille instrui possit, nemoque cuiuscunque sit status aut dignitatis obstaculum quoddam facere debet.

5to.

Episcopus & Episcopatus Russiæ albæ, cum omnibus, quæ ad eam pertinent, æternis temporibus pro Religione Græca conseruabitur, omnesque Ecclesiæ tam Græcorum quam Dissidentium, pro communione eorum actuali conservari debent.

6to.

Ut nullus sacerdos Græcæ Religionis seu Pastor nullusque Dissidens coactus sit, quocunque id prætextu fieri posset, coram Tribunali Ecclesiastico comparere, sed ut unice tantum ab jurisdictione seculari pendeant.

7mo.

Ut non sit permissum, matrimonia inter duas personas diuersæ Religionis impedire, & ut infantes ex tali matrimonio procreati, utriusque sexus, parentum suorum Religionem respective amplectantur. Uno verbo, ut Græci & a Religione Romana Catholica Dissidentes in Polonia, ratione exercitii Religionis, quam profitentur, tali pace & protectione fruantur, quam æquitas & sana ratio, unicuique civi & incolæ concedere debet, & quam status suus, seu æqualitas de jure ei confirmat.

Restitutio Græcorum & a Catholica Romana Religione Dissidentium, ratione temporalis non minus æqua ac justa, pariterque Suæ Imperatoriæ Majestati cordi est, illaque tanquam vicina, amica & ratione tractatuum, qui cum Imperio Suo subsistunt, se coactam videt enixe elaborare, ut Polonia in felici sit statu, & ut bonus ordo, qui talis felicitatis fons appellari potest, in illa conseruetur.

Status æqualis inter nobilitatem est Poloniæ libertatis fundamentum, suarumque constitutionum fulcrum tutissimum. Omnes illæ quæ variis temporibus pro scopo habuerunt Nobiles Græcæ & Dissidentium Religioni additos juribus & prærogatiuis suis priuare, ad turbas tantum & diuisiones dederunt occasionem, una pars status, in suam propriam irruens perniciem, magnum fructum ex hoc capere sperabat, si in præjudicium suorum conciuium surgens, ob commodum priuatum & momentaneum, verum & unicum vinculum, quo natio jungitur, rumpere posset. Tempus pacis & unionis, quo omnia ad restabiliendam permanentem & constantem felicitatem contribuunt, quo Leges in zelo & in unanimi consensu Patriotarum, seu recte pro Patria sentientium suam habent actiuitatem, Rempublicam tam felicem & tam florentem reddere promittunt, quam vix unquam antea fuit. Omnes status omnesque ordines sentire debent, quod nunquam perfecte futuri sint felices, si non perfecte sunt juncti atque uniti, & quod Dignitas & salus Patriæ suæ pro commodo privato vario & inutili sacrificaretur, si in possesione exclusiva munerum & dignitatum manere vellent, & hoc in præiudicium status primitivi Reipublicæ, quo omnes Religionis dictæ æquali jure honorum & dignitatum participes fieri poterant.

Sua Imperatoria Majestas, enixe rogat, ut de hoc puncto juris publici Poloniæ tam valde mutato, & per constitutiones civiles ab una tantum civium parte turbarum & dissensionis tempore factas, integre fere annihilato tractetur, & ut de eo per viam negotiationis cum ista incolarum Reipublicæ parte conveniatur, qui a cæteris in nihilo differunt, quam quia aliam, quam dominantem profitentur Religionem, ut pars, quæ in administratione status & ratione aliorum commodorum & emolumentorum huius Regni de jure eis competit determinetur: & post felicem & perfectam demum hocce in fundamento factam unionem, Sua Imperatoria Majestas opus suum perfecte finitum credet, & quod in toto & plene intentioni totius Reipublicæ ejus auxilium inclamanti satisfecerit.

Auxilium, quod toti Genti pro bono publico generali concessit, Gentis parti & quidem tam magnæ, quam Græci & Dissidentes efficiunt, denegare minime potest.

Cor

Cor enim magnanimum Suæ Imperatoriæ Majeſtatis non contentum eſſet, ſi illa apparentem tantum tranquillitatem Reipublicæ procuraſſet, ſi eam contra violentias, quæ Reipublicæ Legibus, libertati & conſtitutionibus minabantur, eousque tutam & ſecuram tantum reddidiſſet, ut una pars gentis perſecutionibus alterius ſemper expoſita manere deberet: & ſi tantum hunc in finem contribuiſſet ad reddendam actiuitatem certis quibusdam legibus, ut jugum abuſuum eo durius eſſet & perpetuo duraret. Si eo tempore, quo una gentis pars eius auxilium magnis extollit laudibus, indeque fructum capit, altera quædam eſſet & quidem magna & non contemnenda, quæque pari jure auxilium & protectionem Suæ Imperatoriæ Majeſtatis implorare poteſt, & quoque implorauit, & quæ non minus contribuit, quod ſuum habuerit effectum, quæ in miſeria ſua gemisceret. Religio, officium amicitiæ & bonæ uicinitatis, tractatus, honor, qui operis ſui finem perfectum poſtulat, implendo ſpem totius gentis, Suam Imperatoriam Majeſtatem impellunt, omninoque volunt, ut preces ſuas pro reſtitutione Græcorum & Diſſidentium in jura, quæ eis tanquam membris liberi ſtatus conveniunt, tam quoad ſpiritualia quam temporalia reiteret.

Sua Imperatoria Majeſtas perſuaſum ſibi habet, quod bona officia amicæ & bonæ vicinæ ſufficiant, ut diſpoſitio in qua, hoc reſpectu pars ſanior gentis & pro bono Patriæ optime ſentiens jam eſſe poſſet, communis & generalis fiat. Illi, qui ſe opponere poſſent, pro hoſtibus ſuæ propriæ felicitatis & Patriæ ſunt habendi.

Sua Imperatoria Majeſtas ob conſiderationes ſeu rationes priuatas, a propoſito tam ſalutari, quam eſt tranquillitas publica & generalis, deſiſtere minime poteſt. Officium eius econtra erit, omnes modos omniaque media ad eam ſtabiliendam adhibere, certe credens, quod nunquam meliori jure eis uti poſſit.

Hæc ſunt ea, quæ infraſcriptus Suæ Imperatoriæ Majeſtatis, Dominæ ſuæ Clementiſſimæ nomine, ſereniſſimo Poloniarum Regi totique Reipublicæ exponere in mandatis habet, ſpeque firma eſt fretus, fore ut petita tam æqua & juſta obtineat, libertas enim ipſa omnia grata & accepta habere debet, quæ humanitatem declarant, & quæ æqualitas, quæ eius baſis & fundamentum eſt, poſtulat & exigit.

C. Confirmatio unionis inter Nationes Polonicam & Litthuanam, confecta in comitiis generalibus Lublini 1569.

Sigismundus Auguſtus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litthuaniæ &c.

Omnibus & ſingulis declaramus, quod poſtulatis & deſideriis cunctorum Coronæ ſtatuum, ipſiusque Reipublicæ neceſſitatibus, pariter ac noſtris, qua Regis officiis ſatisfacturi, unionem videlicet magni Ducatus Litthuaniæ cum corona Poloniæ a proavo Noſtro cæterisque harum terrarum ſtatibus inchoatam, a reliquis deinde prædeceſſoribus Noſtris iisdemque ſtatibus confirmatam & communitam, fundamento ſolido & inconcuſſo ſuperſtructuri, hanc ipſam ob rationem præſentia comitia generalia ei rei deſtinavimus, ut negotiorum, quæ confirmationem dictæ unionis pro ſcopo habent, initium ibi fieret. Adeſt in hunc finem conſenſus omnium ordinum, tam Coronæ quam magni Ducatus Litthuaniæ, quippe qui hoc negotium inter ſe nunc ordinarunt & abſolverunt, uti & ipſi cum iis fecimus, quantum Officii Noſtri eſt auctoritatisque Regiæ, ſecundum prædeceſſorum Noſtrorum, nec non ipſorum privilegia, declarationes & ordinationes, atque ſecundum ea, quæ ante hac, ubi opus fuerat, a Nobismet ipſis data ſunt. Iidem quoque Ordines omnia confirmarunt ſibique ſecuritatem præſtiterunt jurejurandis ſolemnibus in maxima hominum omnis conditionis variarumque nationum frequentia, quovis e Senatoribus cæterisque ordinibus aut in perſona, aut per plenipotentiarios pro ſe & deſcendentibus rem expediente. Nos itaque auctoritate & vigore præſentium comitiorum confirmamus & cavemus in perpetuum totum hoc unionis negotium, præter litteras confirmationis alio jam tempore a Nobis publicatas. Id quod latius expoſitum invenitur in declarationibus & privilegiis a Nobis antea & deinde hoc loco datis, nec non in iis, quæ ſcripta, facta & jurejurando confirmata ſunt inter ipſos, quæque hic *pro inſertis habere volumus.* Quare præſenti declaratione actis cujusvis Cancellariæ in extenſo ea inſcribi juſſimus, & Cancellariis Noſtris injunximus, ut extractus autenticos ſigillo Noſtro munitos cuilibet in ſuo Palatinatu impertiant, declarantes & exigentes, ut eadem iis habeatur fides, ac si ipſa originalia exhibita fuiſſent.

D.

Extractus Confœderationis anni 1586.

Versio.

Primum vero exempla illustrium Majorum Nostrorum, ut & pristinas declarationes & judicata interregni in his aliisque casibus lata sequentes, in medio relinquimus judicatum interregni anno 1438. a Majoribus nostris in nova urbe Korcini pronuntiatum, a Nobis deinde renovatum & confirmatum Cracoviæ, post mortem Regis Sigismundi Augusti glor: mem. anno 1572. die sabbati post festum sanctorum Apostolorum; *excepto articulo* jam sublato per ultimam Confœderationem inter *Dissidentes de Religione* a Regibus & dominis Nostris Henrico & Stephano confirmatam. Quam confœderationem inter dictos Dissidentes, quemadmodum pacem mutuumque amorem commendat, *in robore suo iuxta suam continentiam in toto* relinquimus.

E.

E.

DIPLOMA REGIUM

Pro Dissidentibus ex Metrica Regni Cançellariæ Majoris.

Augustus Secundus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litthuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czernichoviæque, nec non hereditarius Dux Saxoniæ & Princeps Elector: Significamus præsentibus litteris Nostris, quorum interest universis & singulis: quod coram actis præsentis Metricæ Regni Cancellariæ Nostræ majoris personaliter comparens Nobilis Benjamin Arnold Consiliarius Noster aulicus, obtulit ad acticandum actisque præsentibus inscribendum Diploma manu Nostra subscriptum sigilloque majori regni communitum, sanum, salvum & illæsum omnique prorsus suspicionis nota carens tenoris sequentis:

Augustus Secundus Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Litth: significamus præsentibus litteris Nostris quorum interest universis & singulis. Etsi ad stabilimentum pacis Dissidentium in Religione Christiana nihil in Regno, in Ducatu Litthuaniæ ultra antiquiores & recentiores Confœderationes pactaque conventa Nostra desiderari censeamus, ad vota tamen & desideria eorundem in Religione Dissidentium clementer inclinati, ne communionem Nobilitatis, æqualitatem & pacem suam per articulos moderno tractatui insertos læsam esse arbitrentur, eosdem articulos insertos tractatui, confœderationibus annorum 1573. 1632. 1648. 1669. 1674. & 1697. pactis conventis Nostris, iisdem Dissidentibus in religione servientibus nullatenus derogare debere declaramus, & circa libertates in iisdem confœderationibus omnibus descriptas, juxta earum tenorem (qui hic pro inserto & expresso haberi debet) prædictos in religione Dissidentes conservamus, & ab omnibus statibus, officialibus & judiciis conservari debere volumus, in cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsoviæ die III. mensis Februar: anno MDCCXVII, Regni vero Nostri XX. anno.

Augustus Rex.

L. S.

Matthæus Illak.

Ensifer Bract: S: R: M: sigilli majoris Regni Secretarius.

F.

F.

Inſtrumenti Pacis Olivenſis.

Articulus II.

§. 1. Sit utrinque perpetua oblivio & amneſtia eorum omnium, quæ, quocunque loco modoque, a quacunque paciſcentium parte hactenus hoſtiliter facta ſunt, ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei cauſa vel prætextu, ulla pars alteri poſthac quicquam hoſtilitatis aut inimicitiæ, ſpecie juris aut via facti inferat, aut per ſuos aliosve inferri faciat.

§. 2. Hac generali amneſtia gaudeant omnes & ſinguli, cujuscunque ſtatus, conditionis & religionis fuerint, ut & omnes communitates, quæ ab utrinque partes hoſtiles ſecutæ ſunt, aut in hoſtilem poſſeſſionem devenerunt. Nec ullis hoc bellum præjudicio & noxæ ſit, in ſuis juribus, privilegiis ac conſuetudinibus generalibus & ſpecialibus, tam in eccleſiaſticis, quam in civilibus profanisve, quibus ante hoc bellum gaviſi ſunt, ſed iis in totum fruantur ſecundum leges Regni: Nec ullis communitatibus aut privatis actio, ratione adhæſionis hoſti, intentabitur, ita ut nemini liceat alicui negotium faceſſere ratione illius adhæſionis hoſtilis, aut eam exprobare.

§. 3. Civitatibus Pruſſiæ Regalis, quæ in poſſeſſione S: R: M: Regnique Sueciæ hoc bello fuerunt, manebunt itidem omnia jura, libertates & privilegia, quibus ſive in eccleſiaſticis, ſive in profanis potitæ ſunt ante hoc bellum (ſalvo libero, uti ante hoc bellum viguit, in prædictis Civitatibus Catholicæ & Evangelicæ Religionis exercitio earumque territoria, magiſtratus, communitates, cives, incolas & ſubditos, S: R: M: Poloniæ eadem, qua olim clementia & gratia Regia inpoſterum proſequetur, fovebit & tuebitur. Dabitur iisdem quoque facultas, ædificia publica & privata per injuriam belli deſtructa reficere & reædificare: Pro his vero, quæ neceſſitate defenſionis deſtructa ſunt, minime tenebuntur. Quoad ea vero quæ militiæ Suecicæ tributi loco, ab utriusque inſulæ ſubditis exſolvere neceſſe fuit, a nemine moleſtia inferetur: ſicut & propter decimas aliosve cenſus, quibus ſubditi inſulani ſatisfacere tempore belli minime potuerunt, non turbabuntur.

G.

G.

DECLARATIO.

S. R. M. Regnique Sueciæ legatorum, pro pace ac libertate omnium ab Eccleſia Catholico-Romana de Religione in Polonia Diſſidentium, in puncto amneſtiæ cauta.

Ex Londorpii actis Publ. T. IX. p. 692.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Regnique Sueciæ ad pacificationem in Pruſſia Legati Commiſſarii plenipotentiarii:

Notum teſtatumque facimus, quod licet a Religione Romano-catholica in Regno Poloniæ & magno Ducatu Litthuaniæ Diſſidentes in moderno inſtrumento pacis Sueco-Polonicæ, articulo de amneſtia ſecundo, per expreſſum non ſint nominati; dicta tamen amneſtia tam generalis quam ſpecialis etiam illos concernat, eaque ipſi tota frui debeant. Neque enim Legationi Suecicæ mens fuit, ullas leges antiquas & antiquatas contra hæreticos ſic dictos ſancitas, vel etiam nouas durante hoc bello, (quo merito præſumi debet ac poteſt nihil eſſe innouandam,) latas hoc tractatu confirmandi, ſed potius, ut hac pacificatione cuncta in eum ſtatum, qui ante hoc bellum fuit, reducantur, nec cuiquam, quod partes S. R. M. Sueciæ ſecutus fuerit, ſub quocunque prætextu noxæ & fraudi ſit, efficiendi. Ac proinde declaramus & teſtamur, verba in §. 2. præfati articuli, ſecundum leges Regni, ex parte noſtra non aliam vel antehac admiſiſſe, vel etiamnum admittere interpretationem poſſe, quam ut unusquisque ſine exceptione, & cujuscunque ſtatus, conditionis, aut Religionis ſit, gaudere debeat juribus, privilegiis & conſuetudinibus, tam in eccleſiaſticis quam in profanis, ſecundum leges Regni, ſicut ante hoc bellum obſeruatum fuit. In cujus rei fidem præſens atteſtatum manibus noſtris ſubſcriptum, ſigillo Legationis majori roborari fecimus.

Sabothi die $\frac{21}{31}$ Mai anno 1660.

Magnus Gabriel de la Gardie.
Benedictus Oxenſtierna.
Chriſtoph Carolus Schlippenbach a Guldenklau.

L. S.

Gotofredus von Schröer.
Legat. Secretarius.

Inſertio

INSERTIO PACTORUM.

Nos itaque Joannes Casimirus eadem Gratia Rex Poloniæ m. Dux Litthuaniæ &c. &c. &c. Promittimus & recipimus nomine Nostro, successorum ac posterorum Nostrorum & Reipublicæ Poloniæ, Nos singula et universa capita pactis suprascriptis inserta & comprehensa, bona & regia fide, approbare & ratihabere, sicuti hisce approbamus & ratihabemus, (ita tamen, ut articulus secundus inserti instrumenti pacis secundum articulum separatum declaratorium accipiatur) nec passuros a Nostris ac Regni Poloniæ magnique Ducatus Lithuaniæ vasallis, officialibus ac subditis ullo modo violari. Et quia circa guarantiam exterorum Principum & statuum partes paciscentes facultatem sibi reseruarunt, alios Principes & Potestates ad hanc guarantiam, in ipsa ratihabitione, invitandi & nominandi; ideo certos Principes & status ad guarantiam hanc præstandam Nostro & Reipublicæ nomine per Ministros, nostros invitavimus atque eosdem circa communicationem ratificationum coram partibus paciscentibus nominandi facultatem Legato plenipotentiario Nostro dedimus. In quorum majorem fidem ac certitudinem hasce manu Nostra subscripsimus & sigillo Regni Nostri muniri iussimus. Dabantur Varsauiæ, in convocatione solenni die 26 Junii anno MDCLX.

Joannes Casimirus Rex.

L. S.

INSERTIO PACTORUM

Nos itaque Senatores & Equestris ordinis a Serenissimo Rege & Republica Poloniæ lege comitiali delegati commissarii, promittimus & recipimus, vi potestatis Nobis a Republica concessæ, nomine ejusdem, nos omnia & singula capita pactis suprascriptis comprehensa, iuxta constitutionem Regni anni 1659. approbare & ratihabere; sicuti vigore quoque præsentium approbamus & ratihabemus (ita tamen, ut articulus secundus inserti instrumenti pacis secundum articulum separatum declaratorium accipiatur) nec passuros, ut ab ullo Reipublicæ statu, vasallo, officiali, aut subdito, quovis modo violentur. Cavemusque & promittimus, diplomata ratificationis hujus pacis, tam S.R.M. quam hoc nostrum, in proximis comitiis regni generalibus, constitutionibus & volumini legum nostra-

nostrarum insertum iri; Et quia circa guarantiam exterorum Principum & statuum partes paciscentes facultatem sibi reservarunt, alios quoque Principes & Potestates ad hunc guarantiam in ipsa ratihabitione invitandi & nominandi, ideo Principes & status a S. R. M. ad præstandam guarantiam invitatos, & circa commutationes ratificationum coram partibus paciscentibus nominandos pro Principibus statibusque caventibus, tamquam si expresse hic nominati essent, acceptamus, in quorum omnium fidem, præsens hæc approbatio, subscriptione manuum nostrarum, sigillisque, nomine Senatus, celsissimi Primatis Regni, nomine vero deputatorum ex ordine equestri, illustrissimi Dni Subcamerarii Pomeraniæ, tamquam proxime præteritorum comitiorum Mareschalli, firmata & roborata, eaque eamdem vim atque robur, ac si omnium atque singulorum deputatorum appensa essent sigilla, habitura est. Datum Varsaviæ in conuocatione solenni, die 26 Junii, anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo.

Locus

nominum Delegatorum, & Sigilli appensi.

H.

Tractatus pacis perpetuæ inter Imperium Totius Rusſiæ & Coronam Poloniæ, Concluſus Moscoviæ die 6ta Maji 1686.

Articulus IX.

Conventum pariter & concluſum eſt, ne Sua Regia Majeſtas permittat vel ullo modo opprimi & ad communionem Romanam unionemque cogi Eccleſias Dei & Epiſcopatus Luckcenſem, Galicienſem, Premislienſem, Leopolienſem, Rusſiæ albæ & monaſteria inde dependentia, nimirum Archimandrias Vilnenſem, Minscienſem, Polocienſem, Orcienſem, aliasque abbatias & communitates, ubi viguit & adhuc viget Religio Orthodoxa Græco-Ruſſa, (a) neque omnes eos, qui in Republica Poloniæ & Magno Ducatu Litthuaniæ degunt eadem in Religione manentes. Atque hæc ſtipulatio minime infringetur, ſed potius ſervabitur a dicta Sua Regia Majeſtate, ſecundum jura antiqua in omnibus immunitatibus & libertatibus eccleſiaſticis, & cum per actualem cesſionem urbis Kioviæ Suæ Czareæ Majeſtati factam, ad ſupradictos Epiſcopos in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Litthuaniæ, juxta uſum ipſorum Hierarchiæ eccleſiaſticæ pertineat, a Kievienſi Metropolita ordinari & conſecrari, nemo ideo eorum de Regiæ Suæ Majeſtatis gratia diminui quidquam ſentiet. Nec vicisſim ex parte Czarearum Majeſtatum Romanæ Religioni adſcriptis, qui earum provincias & præſertim diſtrictus jamjam ceſſos incolunt, ulla in fide violentia fiet, neque ad ſequendum alium & a Romano diverſum Dei cultum ulla coactio; e contrario hanc Religionem profitentes omni gaudebunt libertate in poſſesſione bonorum ſuorum ob eam cauſam nequaquam impedientur injuriave adficientur; ſed gratiam Majeſtatum Czarearum ſibi conſervaturi libero Religionis ſuæ exercitio in ædibus ſuis fruentur.

(a) Quinque hi Epiſcopatus hodie ad ſolum Epiſcopatum Rusſiæ albæ redeunt; etſi ſtipulatum fuerit, nullo modo illos ad unionem cogere.

Hist Polon

6, zpa